Paschaiy Andr. Sigism. Divina retia, divi piscatoris hominum, calamo gratulatorio expansa.

DIVINA RETIA, DIVI PISCATORIS HOMINVM,

Calamo Gratulatorio expansa;

ATQVE

Perillustri ac Admodùm Reuerendo Domino,

D. PETRO ORŁOWSKI,

PROTONOTARIO APOSTOLICO,
PRÆPOSITO TARNOVIENSI,
Scholastico Kielcensi, Curato Morauicensi,
Consistorij Cracouien: Notario Actuario,
S. R. M. SECRETARIO,

DIE SVO TVTELARI SACRO;
In lætitiæ, & beneuoli affectûs signum, ac votorum
APPLAVSVM,

A

M. ANDREA SIGISMVNDO PASCHACY,
Philosophiæ Doctore & Professore,

OBLATA.

Anno Domini M. DC. LXXXII.

CRACOVIÆ, Typis VNIVERSITATIS.

DIVINA
DIVI PISCATORIS HOMINVM RETIA
Quidni ſint ex eo,
quòd homines capiant; quos piſcari, nunquam antehac auditum.
Supra humanum opus & opes, ac mortalis induſtriæ vires id eſt,
certè,
Ars artium, quia Diuina.
Rudis planè artis tantæ, tot ſæculis terrarum Orbis,
tandem edoctus eſt:
Homines quoque inſtar piſcium capi, & trahi poſſe.
Nec id facilè crederet,
niſi re ipsâ didiciſſet;
poſtquam ſe totum, intra Retia hæc admirabili ſanè piſcaturâ, concluſum
Ac demùm ſibi gratulatus quoque eſt. *(ſenſit:*
Namquè
Capi ſic, plurimùm eius interfuit,
ſecùs præda procul dubiò miſerabilis, eſcaq; futurus Orco,
qui eum, ceu piſcem deglutiiſſet;
niſi ſic fuiſſet captus.
Tua iſthæc gloria eſt, DIVE PISCATOR
Tuorum iſta laus eſt Retium,
quibus, Orbem totum cepiſti!
Procul hinc Retia Fortunæ,
euanidæ ſomni imagines, meraque ludibria:
Pelaſgo quondam Duci arces vltrò & oppida, munitaſq; vrbes,
capere, viſa per quietem & trahere.
Diuina Petri Retia
Orbem, cunctis cum vrbibus vniuerſum traxêre,
Verùm,
Non in perniciem, aut ſeruitutis iugum; potiùs in ſalutem certam,
ſecuramq; ſui libertatem.
Nemo iam miretur
Scaphas aliquot piſcatorias dum concorditer agunt,
potentiſsimam Rempub: condidiſſe

vnica

vnica en Nauicula P E T R I,
Orbem iterum condidit vniuersum,
quia seruauit pereuntem.
Quem,
Coniurati in ruinam eius Stygij vortices, mergebant
longè periculosiùs
quàm irati olim Cæli cataractæ, & motæ imis sedibus totius
Oceani vires.
Perierat omninò
ni Nauis hæc Piscatoria in tempore subuenisset,
seruans in grauissimo discrimine vniuersos;
dum eos salutiferis hisce Retibus, ad se trahit, & beatis Insulis,
atque felici portu exponit securos.
Cōcessēre intra hæc Retia, tota cū gētibus Regna, Prouinciæ, Vrbes, Populi:
Arrogantior Sophorum iactantia, pisce magis, muta facta,
& omnis Sapientia huius Mundi.
Captæ, argutæ Sophistarum captiones, frustra, fallacias vndiq; omnes,
ne caperentur conquirentes:
obmutuēre cuncta velut pisces, cessēreq; his Retibus.
Orbis totus,
Piscatoriæ potestatis factus est.
Olim quidem,
Macedoni, subigenti Orbem, vnus pro vtraq; Monarchia annulus,
non sufficiebat;
vt altero insuper Darii, per Asiam totumq; Orientem, vteretur;
quasi duorum fortunam, vnius animus capere non posset.
Nunc iam,
Pro Orbe vniuerso, vnus abundè sufficit,
Annulus Piscatoris.
Gloria tanti Nominis,
Quidni Tuum quoque Decus sit
Perillustris ac Admodùm Reuerende Domine P E T R E ORŁOWSKI;
Qui
Cunctos, quos aduersorum seu aduersariorum fluctus obruit
Seruas,
& ingruente naufragio miseris ex dirâ hac tempestate,
pulsis hinc inde turbinibus, tumētes procellas benignior Neptunus cōponis,
& quassatis ratibus, præsentissimo subuenis auxilio.
Insigne mœstis Præsidium reis.
Debuerit retibus Tota

Tota quondam Græcia
quòd Diuinum illum vt credebat Tripodem, cepissent;
quem Delphis postea Orbis superstitiosiùs adorauit.
Tu viuus ætate nostrâ Tripos,
in turbido temporum istorum inuentus;
& à Solone Tuo,
Oblatus
Sacræ Themidi,
Dignissimum Diuâ hâc donum,
Cuius Oracula,
Sacraque illa responsa;
ex quibus singuli spes suas intendunt,
tam scitè promis! tam prudenter formas!
vt nemo hæc non è Tripode, eoque aureo prolata, existimet.
Ac
Ne Tua Tibi quoque Retia deessent,
effecit Natura;
qua Te singulari humanitate præditum, ad amabilem hanc Ciuilitatem efformauit,
quâ omnes suauiter capis.
Nouimus Neronem
aureis semper retibus piscari solitum;
sed qui homines, ferreis compedibus vinciret sæuus.
Tibi,
Aurea verè sunt Retia, obuia illa in omnes comitas, mira affabilitas erga singulos,
blando vultu suaue quiddam, & humanum spondens
quibus corda & animos hominum captos, trahis, possides,
ac in dulci potestate tenes.
Fruere his Retibus Tuis Fortunatus,
Tantoq; Nomine Inclytus
longæua quæuis Nomina & sæcula vince.
Cui
Gratias Cælestes fauoresq́;, vnaq; successuum, & votorum felicitatem,
ac Honorum amplitudinem,
Fortunamque simul vectigalem,
trahant, & attrahant,
& Tua hæc, & Diuina
DIVI PISCATORIS RETIA.